

* P * V * T * S *

* 7 * 6 * 2 + *



- I. Luminor Theologum Augusto Principi Anhaltino Nuptias celebranti conseratum à M. Zacharia Wemmerius.
- II. Causarum conjectio, quibus moti status Regni Bohemiae ad Novi Regis Electionem processerunt.
- III. Secretissima Instructio Frederico V. Electri Palatino data.
- IV. Ex Maximo ad Christianum Danie Regem Jan. Angelii.
- V. Soteria Academie Wittembergensis Johanni Georgio Electoris palatini.
- VI. Idea Principis Boni seu Cratic de vita et obitu Johannis Georgii Principis Anhaltini M. Alexii Frederici Wenderlini.
- VII. Panegyricus Parentalis Rudolpho Principi Anhaltino dicitur id est.
- VIII. De vita et obitu Johannis Georgii Principis Anhaltini D. Cyriaci Herdiani.
- IX. Narratio Ubiq[ue] de Johannis Georgii Principis Anhaltini vita et obitu.
- X. Hallelujah Triumphi Francofurtani D. Cyriaci Herdiani.
- XI. Casparis Donati Elegies Christianae de vita et morte Georgii a Schonau.
- XII. De Industria et Studio Laborij M. Samuelis Prezemii.
- XIII. De Aere Salubritate et Studiorum Commodeitate in valle Frasmini-
ca eiusdem.
- XIV. De Crastione, utrum Literaturam Cultorib. p[ro]pt[er] peregrinatio?
- XV. De Origine et Incrementis Cothoneis M. Benedicti Amboni.
- XVI. De vita et morte Joachimi Strasburgi Wilhelmi Strasburgi.
- XVII. Festa Funeraria Johannis Eugenardi ingenio sumere sublati.
- XVIII. Programma Publicum Academie Francofurtensis.
- XIX. Invitatio Publica ad Rectoratum D. Cyriaci Herdiani.
- XX. De Ratione statut et Prudentia Regnativa Martini Milagri.
- XXI. De spiritibus Familiaribus.
- XXII. Solemne Funus Octavianij de Schlichen.
- XXIII. Exequie Solemnes Johannis Christopori Herdiani.



XXVII 20
PRORECTOR ET SENATUS

Academiæ Electoralis Brāndenburgicæ, quæ est

Francfurti cis Viadrum.

SOLLEMNE FUNUS

QUOD

Antiquissimi generis splendore nobilissimo, pietatis, doctrinae & virtutum nitore splendidissimo juveni

DN.

OCTAVIANO

DE SCHLIEBEN, EQUITI MILLITARIS ORDINIS D. JOANNIS HIEROSO-

LITMITANI, ET CANONICO

Brandenburgeni

Florenti ætate ex febre hecticâ mortuo

Filio suo charissimo, desideratissimo

Admodum Reverendus, Magnificus, Strenuus & Nobiliss. Vir

DN.

ADAMUS DE SCHLIEBEN, SERENISSIMI ELECTORIS BRANDEBURGICI CONSILIARIUS, ANTEFATI ORDINIS Eques primarius, Commendatarius in Litzen, &c.

Dominus in Papitz, & Vulcko.

Add. 3. Kal. Aprilis

Ritu Christiano, nobili exsequiarum pompâ quam ampliss. faciendum curat.

Omnibus reipub. literariæ civibus
indicit.

TYPIS

FRIDERICI HARTMANNI, BIBLIOPOLÆ
& Typographi.



Anijam octo sunt, & paullò amplius: cum nobilissimæ gentis & generosissimæ mentis juvenis,
Dn. Adamus-Fridericus de Schliebē, Cōmendatarius in Supplenburg designatus, nostræ quondam
Academiae alumnus florentissimus, procul à fundis &
feudis paternis, longè ab osculis & amplexibus mater-
nis, Cairi in Ægypto extremum naturæ debitum per-
soluit. Cum enim post fundamenta in literis & linguis
apud nos præclarè jacta; & in corde illo regionū Galliā,
ubi Germanicæ Nationis Procurator ob ingenij præ-
stantiam & morum elegantiam creatus, munis sibi de-
latum cum fide & dignitate ges̄it, per integrū quadri-
enniū firmius locata; moxq; per agratā semper quodam-
modo aut vernante aut auctumnante Italia; & Cereris
ortu, Proserpinæ raptu, Arethusā fonte, Etnā monte,
aliisq; memorabilibus rebus in primis nobili Siciliā, Me-
litāq; Insulā, quæ Equitibus Hierosolymitanis, superio-
ri seculo Rhodo ejectis, à Carolo V. concessa fuit, in Patavino
Gymnasio, omnium totius Italæ celeberrimo, quod
redeuntem exceperat, & Teutonicæ Nationi à consiliis
(quæ dignitas illic loci non exilis est) cum laude & ho-
nore esse viderat, perfecta; & impositum pœnè inchoato,
ut sic dixerim, operi fastigium, domitionem pararet:
accidit sub illud ipsum tempus, ut Christianissimi Regis
ad Turcarum Imperatorem Orator Sanzius urbem A-
driatici maris dominam, & ab ipso sui primordio supra
annos mille ducentos hodieq; virginem & liberam Ves-
neiss.



netias transiret. Hujus in viri familiaritatem & co-
mitatum nobilissimus juvenis, peregrinandi amore,
exemplo Parentis & gentilis quondam sui, Othonis à
Schlieben, cuius insignia in monasterio Franciscano Ra-
mae, quæ Syriae urbs est, anno 1153. lapidi insculpta à Pas-
tre, dum Joppe Hierosolymam iter facit, reperta & visa
meminerat, incensus, ut recipi vehementer cupiens, ita
facile perveniens, Græciam elegantiae quondam sedem
& literarum domicilium, orbisque museum, & Thraciæ
illud atq[ue] Imperij fatale caput Constantinopolin vidit:
indeq[ue] cum aliis comitibus terram sanctam cunis, scho-
lis, flagris, cruce, sepulchro, triumpho Christi Domini
nobilitatam, vestigiisq[ue] ejus sanctissimis calcatam, oca-
lis suis, non superstitione aliquâ, sed religione ductus, u-
surpavit, pedibus pressit: tandemq[ue] Nilo transmiso in
Ægyptum, & primariam ejus urbem Cairum vel Al-
caurum, quam in loco alij Babylonis, alij Memphis con-
ditam; alij ex Memphis, Tanis, & Heliopolis ruderibus
exstructam; omnes certè ambitu maximam & populo
abundantissimam esse dicunt, ingressus est: pedetamen,
ut humanitus rem astimantibus videri potest, parum
firmo & felice. Dum enim illud, cuius gratiâ tot dierū
& mensum itineraterrâ mariq[ue], nec sine sumptu, nec si-
ne vita discrimine fecerat, quam maximè urget: & po-
puli mores, gentis ritus, urbis regiones & vicos, reipu-
blicæ leges, insularum inter se & cum exteris commer-
cia cognoscere satagit: infebrem ex labore & defatigas

A 2 tione



tione prid Non. Novembris Anno M.DC.XI. incidit: e-
amq adsiduam, & satis molestam, tandem q̄ lethalem.
Etsi enim Matthæus Carbo Patavinus Medicus, Ve-
neto ejus loci Consuli à consilijs valetudinis qui erat, &
a viæ sociis V Volffgango à Buchvvald Holsato, &
Henningo à Steinberg Brunsvincense Nobili ad ægri-
curam adhibitus fuerat, omnibus viribus & maximâ
cōtentione ei resistebat. ipsius tamē machinationibus &
medicatis potionibus, quamvis salubribus, & ex artis
præscripto propinatis tantum abest ut cesset: ut die no-
no post, quo optatū salutis in crisi exspectabatur signū,
lethalis exitii apparuerit nota: & adolescens nobilissi-
mus omnium opinione celerius, non ingratius tamē suis,
animam roseo Christi sanguine lotam, & sacrosancto cor-
pore ejus refectam, & contemplatione sacrorum locorū
pastā, in manus Redemptoris sui, anno etatis quindecim &
vicesimo, resignarit animi verò vasculum corpus terræ
mandandum reliquerit: quod in modō dicto totius Ägy-
pti imperiō, more inter Christianos illic recepto, Græco
quodam in templo in fornice subterraneo, suis sumptib.
exstructo, comites itineris condiderunt: saxo, cui & no-
biliss. defuncti nomen & insignia gentilitia incisa supra
posito. Quantum, præstantiss. academiæ cives, & quam
grave creditis Magnificum & nobilissimum Dn. Ada-
mum à Schlieben, Equitem Commendatarium in Li-
tzen, & cōjugemq; ejus generosam, Barbaram à Flan-
sin accepisse vulnus, cum à vialibus comitibus Venetias

ex:



ex itinere salvis reversis, tristiss. de subitâ nec opinatâ
filij secundo partu editi longissimè remotis in locis morte
nuncium acciperent? Nos quidem tametsi Amplissimū
illum virum summâ gravitate summâq; constantiâ, nec
Xenophonti apud Græcos, aut Horatio Pulvillo ap. Ro-
manos animi magnitudine secundum esse novimus: ad-
ducit tamen non possumus, ut credamus: siccis eum oculis,
Et immoto vultu literas aë obitu filij legisse: quem nō
modò ut sibi obsequentissimum tenerrimè amabat: sed
etiam opima ingenij spolia peregrè parta, Ægyptiisq; de-
tracta in patriam reportaturum, Deo consecraturum,
ad sacra Principis sui fastigia fixurum, Et in tholo Rei-
publ. suspensurum; Et sibi parenti mole negotiorum Et
senio pœnè confecto, tanquam Atlanti Herculem subsi-
dio venturum, familiæq; suæ splendissimæ ornamento;
Et toti huic provinciæ emolumento futurum certò co-
gnoverat. Tulit tamen domesticum istum casum, Et præ-
cipitem filij occasum placatè Et moderatè: idq; hoc ma-
gis: quod partim primogenitus filius, eadem apud nos Et
in Galliâ studia atque instituta secessus, Dn. Joannes-
Ernestus de Schlieben Sereniss. Electoris Brandebur-
gici primæ notæ Consiliarius, Vir strenuus Et nobiliss. A-
cademiæ quondam nostræ alumnus, nunc fautor hono-
randus, superstes Et ad manum esset: partim quod è se-
minio nobilissimo generosorū instar germinum succe-
scent (de filiabus, nullis non corporis bonis Et ingenij
dotib. eminentissimis, Et partim splendidiss. Marchiæ no-

stræ Equitibus elocatis, nihil ut jam dicam) Maximilianus & Octavianus filij: quos & ipsos eandem cum majoribus fratribus virtutis & vita orbitam pressuros, metamq; nō tardis quadrigis consecuturos, & fatalem generis jacturam resarturos confidebat. Quorum è numero posteaquam natu minimus Dn. Octavianus in flore ætatis, in medio virtutum & dignitatum spatio a. d. 9. Kal. Martij vitam amisit; non potest vulnus illud parentum ex Adami-Friderici, & alterius filij Christiani, totidemq; filiarum Margarethæ & Barbaræ-Sabinæ obitu antea acceptum, ne cum obducta cicatrice consolidatum, non recrudesce, novosq; stimulos pristino dolori suffigere. Etsi enim nullus dolor aut tantus aut tam acris est, quin longinquitas eum temporis minuat atq; molliat: saepq; à lugentibus dies impetrat, quodratio impetrare non potuit: tamē, ut præconia virtutum & vitiorum probra perennare solent; ita quod parentibus triste sui desiderium relinquunt liberi, ejus ardor semel accensus non facile extinguitur: sed cum extinctus esse creditur, cineribus quasiextus jacet, & levi quaq; occasione inardescit. Quia vero liberorum suorum amantes esse parentes sic decet: ut similetiā sint Dei dictis audientes: non autem ita suæ cupiditati obsequi, ut cœlesti Numini morem gerere detrectent, e- iusq; indignationem in se convertant: Magnificus quoq; Parens, ut antiquâ generis nobilitate, amplissimâ dignitate, & præclaris in rem publicam meritis nō paucos sui ordinis



ordinis viros post sese relinquit; ita pietatis Christianae
Et constantiae virilis studio nemini illorum facile cedet;
Et in duplicato vel potius multiplicato hoc vulnere
Et funere familiari animum nequaquam demittet, aut
dimittet sed in Dei voluntate, utut diverso itinere à suâ
processerit, sibi acquiescendum esse statuet. Quod ut fa-
ciat, cum plures aliae ipsum causæ movebunt: tum ista
in primis: quod Octavianum filium, quem modo præmi-
sit potius quam amisit, id quod maximum homini dari
possit à Deo jam consecutum esse sciatur. Alius sane alium;
ego illum beatissimum judico: qui vitam in his terris,
quantula ea cung^g fuerit, laudabiliter egerit: Et in ves-
râ Filij Dei agnitione, constanti confessione, Et ardenti
precatione eandem clauerit. Veteres certè, qui soli per
extensem funem ire norunt, pro certo jam dudum sta-
tuerunt: quomodo fabulam, sic Et vitam; non quam diu,
sed quam benè fit acta, referre: Et ev. Davatia, hoc est,
beatam morte, quam frustra sibi C. Octavius Cæsar Au-
gustus Christum ignorans optabat, nihil homines meli-
us nancisci posse augusto Friderici Imperatoris ore pro-
latum. Ultrumq^g horum nobilissimo Octaviano, Dei im-
mortalis beneficio, obtigisse paucis docebimus hoc pro-
grammate: satis hoc modo facturi nostro bac in parte
officio Et mori recepto: nostrumq^g simul erga defunctum
amorem declaraturi: Et debitum virtuti ejus testimo-
nium perhibituri, præmium tributuri. Nulla quippe est
speciosor statua, quam honorifica benè actæ vita me-
moria.



moria. Octaviano itaque de Schlieben, ut gloriose vi-
tam conficeret, viam præiverunt & facem prætulerunt
majorum, à quibus equestrem dignitatem traxit, splen-
dor & amplitudo: fortuna & gloriæ paternæ altitudo:
piarentum sollicitudo: & à naturâ largâ manu tri-
buta animi corporisque habitudo. Majores ejus non he-
ri aut hodie primum in nobilium censum relati: sed jam
à multis seculis, adeoque ipsorum Othonum temporibus,
viri fuerunt nobilissimi, & summo splendore præediti:
& in aulis ministeriisque multorum in Germaniâ Prin-
cipum magnâ cum laude versati: duces etiam belli &
tribuni militum atque ita sago & togâ clarissimi. Cuius
~~re~~ certissimum argumentum est: quod in Trojani-
bus, quæ vocant, seu ludis equestribus, sub Heinrico I.
Imperatore, cognomento Aucupe, primum in Germa-
niâ institutis, ad quos nemini penitus, nisi qui avitæ no-
bilitatis & majorum honestatis testimonia proferret
atq; augeret, vi legis 12 hastiludialis, accessus patebat,
honorifica Schliebiorum, & rerum præclarè ab illis
gestarum fiat mentio. Non minoris ponderis illud est,
quod multi ex eadem familiâ inter milites S. Joannis
Hierosolymitanos, qui instar Maccabaeorum profide ac
lege Christi cum Sarracenis dimicare tenentur; & tam
inter Magistros Ordinis illius in hac Brandenburgicâ
Baliviâ, quam Commendatarios electi; nec minus ad
Brandenburgensem & Lebusiensem Præsulatus, & Ma-
gdeburgensis, aliarumque Ecclesiarum Cathedralium

Cano-



Canonicatus, quibus non nisi antiquæ prosapiæ & mul-
tarum imaginū homines honorari solent, evecti & pro-
moti fuerint. Avus ejus paternus Andreas de Schlie-
ben in Zammendorff & Trebicho Feudatarius, &
Commendatarius in Logau fuit: Avia paterna Clara
de Schlieben, Magni de Schlieben in VVusterhaus-
sen & Belitz ex Lossiâ Megagandrinâ Filia; Liborij
de Schlieben, cuius uxor de gente Bredoviâ è domo
Frisagk, Neptis; Christophori de Schlieben, cum
quo Maltitia è domo Tauche nupta, Proneptis; Eu-
stachii de Schlieben, qui Sparriam è domo Trampe
in matrimonio habuit, Abneptis. Proavus paternus
Georgius à Schlieben Eques è domo Stolpe in Episco-
patu Magdeburgensi: Proavia paterna Anna Langia
è domo Munchhofen, Georgii à Langen filia: Aba-
vus paternus Theodoricus à Schlieben ex eadem do-
mo Stolpe: abavia paterna Anna de Leipzig, ex domo
Beervvalde. Non minus clara ex maternâ lineâ fuit
nobilitas. Avus ejus maternus Gaspar à Flans in Zigeo-
ser, Serenissimi Electoris Brandenburgici primum Ma-
rescallus fuit; post aulæ Magister & Capitaneus Fur-
stenwaldensis, Canonicus Brandenburgensis: avia
materna Margaretha de Rohr è domo Schrepke, Joan-
nis à Rohr ex Barbarâ Barfusia è domo Malchovv
Filia; Bernhardi à Rohr, cum quo Arnsbergia nupta,
neptis. Proavus maternus Theodoricus à Flans è do-
mo Wittbriken: Proavia materna ex gente & domo

B

Mar-



Maryvitz. Ab avus maternus Georgius à Flans: A 5-
avia gente V Vittiā è domo Blumberg & Massin na-
ta. Hisce ex radicibus in surculum & propaginem no-
stram vita, succus & fructus derivatus est: hisce, in-
quam, ex majoribus in Dn. Octavianum vera nobili-
tatis & virtutis sapor diffusus est: omnium vero maxi-
mè & proximè à Magnifico, Strenuo, & Nobilissimo Pa-
tre, IV. Electorum Brandenburgicorum Consiliario: cui
nontam cani & rugae auctoritatem, quam honeste acta
superior etas fructus auctoritatis, quæ senectutis apex,
adulit maximos. Post suscepas enim, & feliciter con-
fectas primā etate in Græciam, Syriam, Palæstinam, A-
rabiam peregrinationes; sollertiaq; & rerum civiliū
peritiam, & circa iussiones fidem, Principib. suis & Pa-
triæ multis rerum argumentis probat am, amplissimos di-
gnitatis adeptus est gradus: & virtute suâ promeritus,
ut in ordinem Equitum S. Joannis allegeretur: &
præfecturam Litzensem commendatam possideret: &
Decanatum in Ecclesiâ Cathedrali Brandenburgensi ge-
raret: & Illustrissimi Principis Joannis Georgii Mar-
chionis Brandenburgensis Borussiae, &c. & Carnoviae
in Silesiâ Ducis, Equitum S. Joannis per Marchiam,
Saxoniam, Pomeraniâ, & Vandaliam Magistri in Ba-
liviâ Sonnenburgensi Vicarius esset: & inter Delectos
Ordinū hujus provinciæ ex parte Mesomarchia & Ru-
pinensis Comitatus principem locum & auctoritatem
teneret. Natura vero quam Dn. Octaviano non par-
cauit noverca, sed benigna mater? Staturam hæc ipse



largita erat proceram, & vultum nescio quod inges bonum
preferentem: & corporis dignitatem orisq; venustate ad
junxerat: ut nec de Gorgonij Pythonis prosapia esse vide-
retur: nec pro oris deformitate pœnas toto corpore cū Phi-
lopamene luere necessum haberet: nec ob turpitudinem cor-
poris in turpificati animi suspicionem aliis veniret. Et si n.
non pauci magni & clari viri oris & membrorum elegan-
tiâ caruisse traduntur: & in eburneo interdum corpore
plumbeus latet animus: tamen.

Gratior est pulcro veniens è corpore virtus:
& plerung; ut malus animus male, ita elegans bene habi-
tat: non frustra ut doctissimi viri scripserint: naturā ma-
gnis mentibus domicilia corporū digna metari. Quin ge-
nerosus sese à teneris mox annis in nobiliss. hoc juvane ex-
seruit animus: honestis nempe semper delectatus, turpibus
offensus: & ita doctrinæ ac virtutis cupidus: ut & domi
sub pædagogis doctissimis prima pietatis & literarum ele-
menta ocyssimè perciperet: & in Illustri Vallis Joachimi-
cæ Gymnasio laudabiles progressus faceret. & in academiâ
nosfrâ supra quadriennium non tantum præceptorib. pri-
vatib; quos ipsi parentes adjunxerant, Dn. Joanni Nean-
dro J.U. Doctori & substituto Professori, Viro Clariss. &
Dn. Friderico Mejero, Senatori reip. oppidane nūc tem-
poris prudentissimo; sed etiam Publicis Professoribus, ju-
ra, Leges, historias, mores & instituta civitatum quâ pu-
blicè quâ privatim juventutis tradentibus, sedulò operam
daret. Quorum ex lectione & frequenti conversatione et si



nō parum in studiis profecerat: Et multis, iisq; eximiis na-
turæ ac fortunæ dotibus, quib; vulgus nobilium caret, cla-
rebat: nunquam tamē visus est insolenter sese efferre, aut
aliis præferre: sed facile omnes perferre ac pati: Et vere-
cundia in primis, quæ virtutū ceterarum custos, ornamen-
tum juvētutis, optimæ indolis signum, ac seges veræ gloriae.
Et doctrinæ perhibetur, impensè studere. Quod Et virtutis
ille color in visu Et vultu arguebat: qui tamē si ex bonâ
corporis habitudine Et ætate efflorescebat; tamē vestis in-
star à naturâ huic adolescēti additus erat, quâ generosus
ejus animus tegeretur. Sic igitur natus Et educatus cum
esset: fieri non potuit, quin eum in omni vitâ majorum cla-
ritas ad honesti amorem accenderet: Parentis auctoritas
ad virtutē alliceret: institutio Et pudor à vitiis retraheret:
corporis dignitas quidquā deforme aut indecorum cōmit-
tere prohiberet: naturæ bonitas ad optima quæq; Et isto lo-
conatis dignissima studia inflammaret. Quò etiam factū,
ut ætate majores eum certatim amarent, æquales honora-
rent, minores observaret: cum ipse viciissim grandævos ob-
sequiis, æquævos officiis sibi obligaret: Et cum civibus, eo-
rumq; liberis, nō modo placide sed ateq; ; sed æquo etiā jure
vivere sustineret: quod quām rarum hodie in nobili homi-
ne, tam laudandum. Quātonc caput altius, tanto collum,
ut vetus habet verbum, debet esse mollius. Mirè quippe de-
cet nobilitatis altitudinem humanitatis māsuetudine re-
molliri. Hoc vitæ institutum dum nobilis. Octavianus tes-
net: Et in eodem cum majoribus suis circo ad palmam cur-
xit: nec beneficia, quæ merebatur, Principes fratres mo-

rantur: sed alter inter Equites Ordinis militaris s^epē jam
dicti, alter inter Canonicos Brandeb. locum ei tribuit:
dum q^z jam talaria induit, & Illustrissimum Principem
Joachimum Sigismundum, Serenissimi Electoris, Inclita-
tē recordationis, natū minimum Filium, cuius illustriss.
celitudini, ante quoq^z quam Francofurtum veniret, sub-
je*cetiss.* studia & operam totius anni spacio navārat, gra-
tiamq^z & favorē ejus demeritus fuerat, in Galliam pro-
ficiſcentem comitat^{ur}: & primi diei itinere cōfecto Span-
doviam ingreditur: ecce hominē corpore & animo, ut vi-
debatur, valentem pr̄ater omnium opinionem morbus ex
infidiis adoritur: tanto cum impetu; ut pedem referre, &
Coloniā primum, inde domum ad nobiliſ. Paretes, tan-
dem in hanc urbem curationi oportuniſſimam ſeſe recipere
coactus fuerit. Hic verò ad frangendas morbi vires, & re-
cuperandam valetudinem et ſi pia parentum cura nihil
ferè intentatum reliquit, quod gravissimis etiam morbis
profligandis facere videretur: nibil tamen aut publica & va-
luerunt Ecclesiæ preces; quarum alias ad obtinendam piis
sanitatem vis ſolet eſſe maxima: aut Medicorū bujus loci
peritissimorū crebri cōventus, & cōmunicata cum vicinis
Medicis, iſdemq^z experientiſ. & felicissimis, & ab Archi-
atris Electoralib. approbat a consilia: aut Deorum manus
medicamenta magnis ſumtu & numero exhibita. Nimirū
fatalis cum vita terminus adeſt, & clepsydra homini ad-
vivendum data, ut oratorib. olim ad agendum, exhausta
eſt: fruſtra humana adhibentur pr̄ſidia & remedia: niſi

miraculose Deus agat: quomodo Ezechiae vitam ob fidem
reitudinem prorogavit: Anastasio ob ejusdem perversi-
tatem decurtauit. Nec tamen Adolescens Nobilis, pro-
pter diurnam corporis infirmitatem animo frangebatur:
sed, ut Christianum militem decebat, Imperatorem cœlestē
sine murmuratione sequebatur: Et morbum patiēter fere-
bat. Didicerat n. ex sacris, electos & dilectos Dei, quanto
amplius diligentur, tanto in tritura persecutionis durius
conteri: noveratque se, si ferrum esset, crucis hoc igne à
rubigine mundari; sin autem aurum, eodem probari
Mortem sibi imminere Et jugulum petere cum senti-
ret; et si id aetatis erat, quā si non cavere, pauper tamē
homines mortem solent, nequaquam tamen cum My-
cerino Ægypti Rege id succensebat, quia tam citè ex hac
vitā sibi excedendum esset: sed animo forti & imperterri-
to, posteaquam adolescentiae cestitationes & lapsus lacry-
marum imbre diluerat, Et sacro viatico sese munierat,
componens mentis, veritatis cœlestis semel agnitæ tenax, an-
nos natus XXII. mensem unum & XIV. d. interpias
preces & suspiria. Kal. Martij, ut dictum, morte excipie-
bat: certa spē fatus se, cum humiliter flagella hic suscep-
rit, post flagella istic ad requiem sublimiter receptum iri:
Et quia in Ecclesiâ militante foverit semen gratiae, in Ec-
clesiâ triumphante fructum quoque glorie messurum esse.
Quæspes eum nequaquam fecellit: ipseque jam de morbil-
lis & varis qui superiore anno valetudinem ejus non pa-
rum afflixerant, de febris hectice angoribus & doloribus,

Et



Et de morte ad cō ipsā gloriosissimē triumphat: atque ad
beatarum mentium, fratrumque & sororum suavissi-
marum, quae ipsum antecesserant, sanctiss. societatem ad-
gregatus amplissimis fruitur gaudiis: ac ne Attalicis qui-
dem conditionibus, ut inde ad nos, hoc est à pace ad bel-
lum, à patriâ in exilium, à carcere in libertatem, à quiete
ad labore, à refrigerio ad aestum, à solatio ad fletum à bo-
no ad malum, à vita in mortem, à cœlo in Orcum redeat,
dimoveri potest. Nobilissimo huic juveni Parentes
mœstissimi hodierno die Christiano ritu & pompâ nobili
exequiarum funus ducere constituerunt: quod spectabili
vestro comitatu, cives Academie, & magno honestissi-
morum hominum concursu ut optant, ita sperant sollemni-
ter iri exornatum. Quæ vestræ hic partes sint, nobis eti
jam non monentibus, facile intelligitis. Ipsa vobis, opinor
suadebit pietas, persuadebit honestas, calcar supponget
nostro ordine digna humanitas, & quæ ubique grata
est, vita functi juvenis nobilitas: ut commilitoni quon-
dam vestro & amico exequias frequentes eatis: atque
id serio agatis: ut gravissimi luctus nimis biulca vulne-
ra, in pectoribus Nobilissimorum parentum, Fratrum,
Sororiorum & Propinquorum, generosæ prosapiaæ, sum-
maque auctoritatis & amplissimæ dignitatis in Mar-
chiâ Equitum, vestrâ, velut æquum est, præsentia & com-
passione quasi cicatricentur. Piaculum enim quoddam
est, ait Cassiodorus, inter tristes velle gaudere; & huma-
nitatis



nitatis refugit affectum , qui dolorem non sequitur alienum. Quod si nos suis calamitatibus commoveri, malis consauciari senserint : non consensum modò in affectu probabunt; sed omnes etiam semper occasiones captabunt ordinem nostrum amandi: Et quibus poterunt studiis atq[ue] officiis (possunt autem plurimis) ornandi Et juvandi. Gratia namque, ut verissimè Sophocles scripsit, gratiam parit: Εἴδετοι δέ τοι ναὶ αὐτοὶ μηρῶν ὄιδασιν χάριν, boni etiam pro parvis sunt grati. Ite ergo exsequias: optimèque vivite Et valete. P.P. XX X. die

Martij, anno reparatæ salutis

cI. I. CXX.

C. N.



Nr 122


ULB Halle
002 714 272

3




St

107



FarbKarte #13



XXIst 20

PRORECTOR ET SENATUS
Academiæ Electoralis Brāndenburgicæ, quæ est
Francfurti cis Viadrum.

SOLLEMNE FUNUS
Quod
Antiquissimi generis splendore nobilissimo, pietatis, doctrinae & virtutum nitore splendidissime juveni

D.N.

OCTAVIANO

DE SCHLIEBEN, EQUITI MILITARIS ORDINIS D. JOANNIS HIEROSOLMITANI, ET CANONICO
Brandenburgeri

Florenti ætate ex febre heclicâ mortuo
Filio suo charissimo, desideratissimo

Admodum Reverendus, Magnificus, Strenuus & Nobiliss. Vir

D.N.

ADAMUS DE SCHLIEBEN, SERENISSIMI ELECTORIS BRANDEBURGICI CONSILIARIUS, ANTEFATI ORDINIS Eques primarius, Commendatarius in Litzen, &c.

Dominus in Papitz, & Vulcko,

Ad d. 3. Kal. Aprilis

Ritu Christiano, nobili exsequiarum pompa quam ampliss. faciendum curat.

Omnibus reipub. literariæ civibus
indicit.

TYPIS
FRIDERICI HARTMANNI, BIBLIOPOLÆ
& Typographi.